



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. LXXXI. Vtrum religiosi reformati ingredientes in conventum mitigatorum, seu non reformatorum, debeant eundem præcedentiæ gradum tenere, quem antea habebant non reformati: an verò juxta ordinem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

- quirendo : quia isti, sicut & monachi, quidquid acquirunt, monasterio acquirunt : *Jaf. in Authent. ingressi, num. 24. circa med. Cod. de sacrosanct. Eccles.*
- † Quamvis de licentia Superiorum, isti canonici regulares possint habere bona, saltem quoad usum fructuum : † imò de illis etiam inter vivos disponere ad opera pia ; non tamen testamentum condere. *Rot. coram Caval. decis. 606. num. 6. & 8. † Item sunt verè & propriè religiosi. Roderic. tom. 1. quest. regul. 1. art. 3. Quamvis laxior sit hæc religio religionis monachorum, cap. quod Dei timorem 5. de stat. monach. & canon. regul.*
- † In odiosis & pœnalis non veniunt appellatione monachorum ; secus in favorabilibus. *Roderic. dict. quest. 1. art. 3. Panorm. in dict. capit. quod Dei timorem, num. 2. Campanil. in diversor. juris canon. rubric. 12. cap. 1. num. 3. Lezan. in summa regul. tom. 2. cap. 3. num. 6. ubi copiosè tractatur de istis canonicis. Barbol. de appellat. verbor. in verb. Monachus, capit. 154. & tract. de canon. capit. 1. num. 41.*
- † His ita suppositis, deveniendo ad resolutionem propositæ questionis, variæ sunt hæc in re Doctorum sententiæ. Quamvis enim omnes in illa regula generali conveniant, quod beneficia regularia regularibus, & secularia secularibus sint conferenda : *Clem. 1. de elect. c. p. in nova 16. quest. 7. §. volumus, in Concordat. Item & in alia regula, quod beneficia secularia per regulares ex dispensatione obtineri possunt, Rebuff. in prax. tit. de dispensat. cum regul. facta, num. 7. quæ dispensatio concedi solet ex causa, veluti in defectum secularium clericorum : tunc enim necessitas non habet legem, cap. Abbate, in fin. de verb. signif. † Et conceditur sub ea conditione, ut deducto victu, quod residuum erit, in utilitatem Ecclesiæ, vel pauperum convertatur : & hoc casu narrari debet Summo Pontifici penuria clericorum ; & eximia doctrina, seu alia qualitas, & capacitas impetrantis : ut bene explicat Pyrr. Conrad. in prax. dispens. lib. 6. cap. 1. num. 21. & 22. & seq. quod tam de jure communi procedit, capit. inter quatuor, de religios. domib. quàm ex Gallie concordatis, Rebuff. d. §. volumus 1. de collationib. verb. & conformitatem.*
- † Conveniunt etiam omnes quod religiosi, etiam si sint canonici regulares, non possunt obtinere beneficia Ecclesiastica simplicia secularia, etiam ex dispensatione Episcopi : *Garc. de benefic. part. 7. cap. 10. num. 29. Seraph. decis. 1269. solo Viviano dissentiente, quem merito reprobatur Conrad. in dict. prax. dispens. lib. 6. cap. 1. num. 26. ubi ponuntur formulæ hujusmodi dispensationum.*
- † Quo verò ad beneficia, quibus cura animarum imminet : inspecto jure communi, Episcopus potest cuilibet regulari Parochialem Ecclesiam, etiam sine dispensatione Apostolica concedere, *dict. cap. quod Dei timorem, & ibi Gloss. in verb. Ecclesiarum Parochialium, Gonzal. ad regul. 8. gloss. 7. num. 49. dummodo talis sic provilus semper habeat focium ejusdem ordinis : cap. monachi, eod. tit. de stat. monach. † Si tamen agatur de canonico regulari, præfici potest Parochiali, etiam si focium ejusdem regulæ secum non teneat, si illum commodè habere non possit : *dict. cap. quod Dei timorem. Gonzal. dict. n. 49. Sed ex stilo curiæ Romanæ, nullus regularis, etiam si sit canonicus, potest sine dispensatione Apostolica Parochialem Ecclesiam obtinere, ut testatur Gonzal. afferens declarationem Sacræ Congregationis loco citato, num. 53. & seq. Cujus tamen opinio à multis reprobatur, & contraria verior creditur : pro qua**

etiam consulueram antequam infrascriptos autores vidissem anno 1627. ad requisitionem R. D. Francisci Gigard, religiosi profecti in ordine Canonico-regularium Sancti Antonii Viennensis : † nempe canonicum regularem ex sola sui Abbatis licentia, & absque alia dispensatione Apostolica posse ad Parochialem Ecclesiam ab Episcopo promoveri juxta sententiam Abbatis in *dict. cap. quod Dei timorem, quem sequitur Eman. Roderic. tom. 1. quest. regul. 34. art. 4. versic. quando verò Ecclesia, & tom. 2. quest. 28. art. 3. nec declarationem Sacræ Congregationis in contrarium allegatam apud Gonzalem fuisse unquam usu receptam, testatur Tambur. de jur. Abb. tom. 3. disput. 9. questio 8. num. 11. ubi aliam declarationem Concilii interpretum in contrarium factam 1602. refert : ideo non existimat recipiendum quod dicit in contrarium Quaranta in sum. Bull. in verb. canonicus regularis, quia loquitur post Gonzalem, qui tamen teste Tamburino seipsum melius edoctus corrigit in posteriori sui operis editione ; & eandem sententiam in favorem clericorum regularium fuscè comprobatur Concilium intermedium post dictum questum 8. apud Tambur. Item & Lezana in sum. regul. tom. 2. cap. 3. num. 16. versic. minus. † Existimo tamen dubiam esse hanc Doctorum sententiam ; cum omnia per Tamburinum deducta referat, & reprobet Conrad. in d. prax. dispens. lib. 6. cap. 1. num. 18. versic. at verò ego, ubi statuitur hanc esse Curie Romanæ praxim, ut Canonicis regularibus non conferantur beneficia secularia curata, sine speciali summi Pontificis dispensatione : de qua etiam praxi testatur Sanch. in p. decal. lib. 7. cap. 29. num. 71. quamvis de jure communi aliud statuendum esse, post plurimos Doctores dixisset eod. cap. 29. num. 34. Ejusdem quoque opinionis fuit Barbol. in tract. de jur. Eccles. sum. lib. 3. cap. 4. num. 76. versic. diximus supra, & eod. cap. 10. num. 31. & seq. Mirand. in manual. prax. regul. tom. 1. quest. 32. art. 5. † Et ita declarat Sacra Congregatio negotiis Episcoporum & regularum præposita in hæc verba : teste Barbol. d. num. 76. Canonici regulares, non obstante cap. quod Dei timore, non admittuntur ad curam Parochialium Ecclesiarum, absque sedis Apostolicæ dispensatione. Unde contra ultimam opinionem concluditur esse à dicta Congregationis declaratione recedendum.*

CAPUT LXXXI.

Verum Conventus religiosorum reformatorum ingrediens in conventum reformatorum, seu non reformatorum, debeat eundem præcedentiæ gradum tenere, quem antea habebant non reformati ; an verò juxta ordinem suæ ceptionis ad civitatem.

SUMMARIUM.

- 1 Contentio super præcedentiâ justa est, & utilis.
- 2 De pluribus questionibus circa Ecclesiasticas controversias. Remissivè.
- 3 Consuetudo in materia præcedentiæ observanda.
- 4 Inter religiosos circa præcedentiâ conventuum.

Quaest. & Resol. benefic. Cap. LXXXI. 137

corpore ambulantium inspicitur ordo, & tempus receptionis ipsorum ad civitatem.

5 Patres ordinis sancti Augustini discalceati, constitunt eundem ordinem quem alii calceati, & supponuntur eidem Generali; licet habeant discalceati suos Vicarios generales.

6 Dilecti patres, tam calceati, quam discalceati, subiacentur eidem regulae, accidentaliter tamen diversa.

7 Refertur declaratio sacrae rituum Congregationis, super retentione ejusdem ordinis, ratione praecedentiae reformatorum; quem non reformati, ad quorum monasteria accesserunt, prius tenebant.

8 Subrogata persona fruuntur eadem praerogativa, qua competeat illis in quorum locum subrogantur.

9 Suppressa aliqua dignitate, si alii in ejus locum subrogentur, uti debent eadem praerogativa quoad praecedentiam.

10 Quomodo sit verum, quod consuetudo, per quam minus dignus praedit digniorem, sit demandanda executioni, quamvis sit contra jus.

Laudabilis, & iusta est contentio, pro ordine in praecedentiis conservando: teste Menoch. *consil. 51. num. 1. cum seq. vol. 1.* & praetensiones praecedentiae sunt quodammodo necessariae, non autem ambitiosae, & arrogantes: Natt. *consil. 637. & 638.* tenduntque ad bonos mores, & ad rationem vitae politicae. Peregr. *consil. 84. num. 1. volum. 1.* Unde mirum non est, si circa praecedentiam, etiam inter Ecclesiasticas personas nonnunquam oriantur controversiae. De quibus multa resolvit ex sacrae Congregationis mente Barbof. in *decisionib. Apost. collect. 590.* Quamobrem non sine ratione fuit aliam quaesitum, utrum Reverendi Patres ordinis sancti Augustini, qui discalceati nuncupantur; quibus ultra conventum jam in una civitate fundatum, concessus est alius, quem prius non discalceati ejusdem quidem ordinis, sed laxioris regulae religiosi inhabitabant, servare debeant in processibus eundem ordinem, quem servabant Augustiniani laxioris observantiae; an vero procedere debeant juxta tempus, & ordinem suae receptionis ad istum secundum conventum.

Super qua propositione deliberatum fuit religiosi istos separatim, & non admixtis religiosi illius conventus, quem jam in loco isto habebant, procedentes debere eundem ordinem servare quem Augustinenses laxioris regulae tenere soliti erant. Quia in materia praecedentiae, servanda est consuetudo, illaque potissimum attendenda. Bald. in *cap. cum olim, num. 2. & seq. de consuetud. Felin. in cap. statum, in princip. de majorit. obedient. Rota apud Burat. decis. 903. num. 20. & seq. eadem Rot. decis. 322. n. 10. pari. 6. recent. & decis. 483. num. 1. part. 5. recent. & alibi passim. Talis autem erat consuetudo inviolabiliter observata, ut conventus ille praecederet juxta ordinem receptionis antiquorum Augustinienium: illa igitur observanda erat.*

4 Neque obstat poterat quod opponebatur, monasterium hoc, ultimo loco per discalceatos fuisse quaesitum: & per consequens post omnes incedere teneri: cum in hac materia, attendenda sit prioritas originis, & receptionis in illa civitate, vel loco: juxta Bullam Gregorii XIII. incipientem, *Expositis Pastoralis officii munus*, sub die 15. Julii 1583, quae est 86. in ordine, his verbis: *Quando vero non probatur, aut*

Tom. I. Pars I.

non constet de quasi possessione praecedentiae inter fratres; qui antiquiores sunt in loco controversiae, praecedant, ita ut si contingeret nova monasteria, aut domus in aliquo loco recipi, ille ordo qui prius monasterium seu domum in loco habuerit, praecedat. Ex quibus verbis videtur inferri, monasterium istud ultimo receptum, ultimo etiam loco procedere debere.

Quia responsum fuit, non esse attendendam modernam discalceatorum receptionem; sed antiquam calceatorum, cum hodierna receptio sit tantum continuatio antiquae. Quod enim religiosi sint calceati, vel discalceati; aut quod laxiorem, aut strictiorem ejusdem ordinis regulam observent; non constituit aliquam ordinis differentiam: sed idem semper sancti Augustini manet ordo, eademque regula, quamvis accidentaliter diversa.

Et licet dicti Patres discalceati, per constitutionem felicis record. Pauli V. quae incipit *Inter omnes*, sub Datum Romae 10. Calend. Septembr. anni 1606, sint totaliter separati a mixtis, seu calceatis: non tamen constituunt diversum ordinem, imò supponuntur auctoritati & jurisdictioni ejusdem Generalis: quamvis suos habeant Vicarios generales, ex constitutione Gregorii XV. sub die 26. Novembris 1621. & die 20. Augusti 1622. necnon Urbani VIII. sub die 8. Julii 1627. Et in omnibus constitutionibus Apostolicis, aliisque dispositionibus, habentur omnes, tam calceati, quam discalceati pro fratribus ejusdem ordinis, sola regulae strictioris observatione distinctis: ut colligitur ex traditis per Barbof. de *jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 41. num. 131. & 132.* Tamburin. de *jure Abbatum, tom. 2. dist. 24. quasi. 4. num. 54.* Et ut omnis tollatur difficultas, adest super hoc expressa declaratio sacrae Congregationis rituum, sub die 17. Julii 1627. relata per Tamburin. de *jure Abbat. tom. 1. diff. 25. quasi. 8. post num. 6. tenoris sequentis.*

Procurator generalis Minorum Observantium reformatorum narravit; Fratres Observantes reformatos pati controversiam circa praecedentiam, quasi nuper ascitos in civitate: cum tamen ingressi sint & habitent in Monasterii familia: Ideo supplicavit provideri.

Congregatio de 17. Julii 1627. mandavit omnino dari praecedentiam dictis reformatis. Joan. Baptist. Card. Detus.

Et hoc juri & aequitati omnino convenit: quia 8 personae subrogatae dicuntur juris interpretatione eadem cum primis, si igitur definitus, *Authent. de hered. ab intest. venientibus*. Natt. *consil. 346. num. 3.* Unde si supprimantur praepositi antiqui, & in locum illorum subrogentur novi; omnia privilegia, & praerogativae, ac praecedentiae antiquorum, transferuntur ad novos, tanquam in eorum subrogatos. Petr. de Ubald. in *tract. de unione, capit. 2. num. 3.* Garc. de *benef. part. 12. cap. 2. num. 10.* Rota *decis. 252. num. 8. part. 6. recent. repetita post tom. 3. Tamburini de jur. Abbat. decis. 116. & decis. 319. ante num. 1. versic. & licet hac constitutio eadem pari. 6. recent.*

Ut autem ea quae supra dicta sunt num. 3. certiora evadant, notandum est, duas proponi inter se repugnantes juris regulas: quarum prior asserit dandam esse praecedentiam juxta consuetudinem, etiam si illa consuetudo repugnaret juri communi, utpote quod minus dignus praecederet digniorem: Menoch. *consil. 51. num. 51.* Seraph. *decis. 964.* Addit. ad Burat. *d. decis. 903. n. 21.* Posterior contendit talem consuetudinem, per quam minus dignus praedit digniorem,

M 3 rem,

rem, non subsistere, uti rationi & juri contrariam: Ludov. *decis.* 310. *num.* 5. Quæ tamen ita per Addit. ad Ludov. ad concordiam reducuntur, ut prior opinio procedat, juxta subsistente causâ, & in certis casibus particularibus: posterior verò quando minùs dignus indistinctè, in omnibus actibus, & absque rationabili causa præcedere vellet digniorem.



CAPUT LXXXII.

De modo procedendi inter regulares in electionibus, quando propter aliquem casum non prævisum, capitulum ad duos Electores redactum est.

SUMMARIUM.

- 1 Electio canonica quæ dicitur.
- 2 Canonica electionis vox variis modis accipitur.
- 3 Electio fieri debet per vota secreta, alias nulla est, & invalida.
- 4 Collegium licet non possit consistere in duobus, potest tamen in duobus conservari.
- 5 De jure canonico, Collegium etiam ab initio potest in duobus consistere.
- 6 Si capitulum reducatur ad duos electores, illi possunt eligere Discretum.
- 7 Si duo tantum sint electores, & eligibiles, unus potest consentire electioni de se per alium facta.
- 8 Electio non valet, si quis se ipsum nominet, propter ambitionem quæ interveniret.
- 9 Scrutini forma non est necessaria, quando de facto observari non potest.
- 10 Unus ex electoribus potest eligere alium palam, quando aliter electio fieri nequit.
- 11 Proponitur distinctio Menochii in hac questione, ut si casu non possit reperiri sufficiens numerus, electio etiam non secreta, sit valida: secus si facta alicujus tertii.

PRæsupponitur in quadam regularium congregatione, electiones esse sub duplici differentia. Prima est illa quæ canonica dicitur, in qua major eligentium pars in unius personæ electionem convenit: v. g. si ex viginti suffragantibus, undecim suffragia, vel plura in unum concurrant: quamvis alias canonica dicatur electio, quando electi fuerint à Superioribus aliqui, qui eligentium vota diligenter excipiant: † hanc enim canonice esse, censuit Sacra Congregatio, ut testatur Nicol. Garc. *part. 5. cap. 4. num.* 189. quia tunc vota eligentium sunt secreta: ut ibidem tradit Garc. Sed melius Hostiens. in *summa, tit. de elect. num.* 1. definit, ut sit alicujus personæ ad dignitatem, vel ad fraternam societatem, servatâ formâ, canonicè facta vocatio. † Didicæque vox canonice electionis quandoque sumitur in ampla significatione; ita ut sufficiat illam factam fuisse de consensu eligentium, & electi; dummodò non intervenierit causa quæ illam inficiat: v. uti si facta esset per abusum sæcularis potestatis, vel ad populi clamorem. Quandoque sumitur strictè, quando omnia interveniunt, quæ sunt de substantia, licet non observetur forma *capit. quia propter, de elect.* veluti dum agitur de electione ad canonicatus,

in quibus Ecclesia non remanet viduata pastore. Aliquando denique strictissime, quando videlicet forma *dilecti cap. quia propter*, servata fuit; ut explicat Lotter. *de re benef. lib. 2. quest.* 16. *mon.* 18. Nos hic constitutionis canonice nomen ad dictæ religionis constitutiones referimus.

Secunda ergo electionis forma in dicto ordine, & ex ipsius constitutionibus, dicitur non canonice, in supplementum primæ inducta: solet enim plerumque contingere, ut voces seu suffragia eligentium hinc inde dispergantur, ita ut in nullum ex eligendis suffragiorum concurrat medietas. Si electio canonice esse non possit; tunc secundum constitutionem, ex omnibus eliguntur illi duo, qui præ cæteris, plura suffragia in secunda experientia habuerunt: vel si unus quidem plura, alii verò paria præferendus erit ille qui primò professus fuerit, & horum duorum nomina scribentur, & affiguntur super duobus distinctis bursulis, aut vasis; & tunc qui plura ex his suffragia habuerit, etiam citra medietatem, publicabitur electus, ut supra: quod si iterum in paritate vocum concurrant, ille publicabitur, qui antiquior fuerit in professione.

Ex alio textu dictarum constitutionum, debet esse saltem tres vocales eligibiles, ad hoc ut legitime fieri possit electio Discreti in unoquoque conventu: aliàs talis electio irrita sit.

Occurrit casus. Sunt in uno conventu quatuor vocales, scilicet Superior, & tres alii eligibiles & electores: in prima probatione scrutini, unus illorum habet duo suffragia; alii duo habent unum: Quæritur utrum ille qui duo habet suffragia, possit dici canonicè & legitime electus, sine alia experientia. Ratio dubitandi est, quia si iste non censeatur legitimè & canonicè electus, duo ex istis tribus debent proponi: videlicet ille qui habuit duo suffragia, & illi qui habuit unum duntaxat, & qui ultimus, & antiquior in professione: & cum isti duo proponantur eligendi, debeant exire de capitulo juxta constitutiones ejusdem ordinis, remanent tantum duo electores, videlicet superior, & alter vocalis: ita ut pro tanto tot sint electores, quot eligibiles: & ita quæritur utrum duo possint eligere duos: † Quia cum in electione debeat fieri per vota secreta, & per suffragia, Concil. Trident. *sess. 25. cap. 6. Lezana in summa regul. tom. 1. cap. 15. num.* 17. si duo isti non concurrant, ita ut unusquisque eligendorum, habeat unum tantum suffragium; electio non est secreta, neque per secreta suffragia: & per consequens nulla.

Sed tamen non obstantibus superioribus debitis, conclusum fuit illam electionem validam esse, & legitimam, atque ita fuit observatum: quævis per duos duntaxat electores facta fuisset. † Quia licet collegium non possit subsistere in duobus tantum vili, *1. Neratius, ff. de verb. signif. in duobus tantum conservari potest, si legitimus numerus in loco intervenierit: 1. sicut mancipium, §. final. ff. quod in jusque univers. nomin. † De jure verò canonice, ab initio potest consistere in duobus, ex traditis Tusch. *litter. C. conclus.* 452. *num.* 11. per text. *cap. 1. de elect. Rot. decis.* 860. *num.* 7. & *decis.* 100. *num.* 5. coram Seraphino, Tamburini. *de jur. Abb. tom. 1. disp. 5. quest.* 8. & *seq.* † Et ideo cum in principio quatuor adessent vocales in capitulo, quæ potestas ad duos redacta est, illi duo possunt eligere Discretum: prout etiam punctualiter tenet Abbas *consil. 25. in 4. dubio, lib. 2.* ubi dat varios modos procedendi in casu isto: † & inter cæteros modos procedendi per Abbatem ibidem propositos, secundum*